



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 6. De Exactionibus Episcopalibus, quibus Ecclesiæ Parochiales
subjacent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

Laicus nec in personam quæ convenitur, nec in rem quæ petitur jurisdictionem habet. Quamvis autem *preventio* tribuat jurisdictionem, id tamen procedit in eodem genere jurisdictionis, non verò si fiat mutatio de laicali ad Ecclesiasticam.

CAPUT VI. De Exactionibus Episcopalibus, quibus Ecclesiæ Parochiales sub- jacent.

SUMMARIÆ.

1. *Quæ sint exactiones Ecclesiasticæ.*
2. *Exactio primorum fructuum consuetudine introducta est.*
3. *Quid sit Cathedralicum ad id tenentur omnia beneficia: non tamen monasteria.*
4. *Quid Charitativum subsidium.*
5. *Causa petendi charitativum subsidium debent esse manifesta & rationabiles.*
6. *A quibus exigendum charitativum subsidium.*
7. *Pensiones alumnaticas Episcopus exigere potest ab omnibus beneficiis suæ Diocesis.*
8. *Quid sit Procuratio.*
9. *Quid portio Canonica, & quarta decimarum.*
10. *Potest prescriptione vel consuetudine aboleri.*

EXACTIONES quas Episcopi ab Ecclesijs Parochialibus facere solent hæc sunt.
1. Taxa, annata, seu primi fructus. 2. Cathedralicum. 3. Charitativum subsidium. 4. Pen-
sio

DE EXACTIONIBUS, &c. 61

fio alumnatica vel alij census. 5. Procuratio.
6. Portio Canonica. 7. Quarta decimarum.
Videamus de singulis.

De primis Fructibus.

HÆC exactio consuetudine magis quàm jure
fundata est, etenim in *c. un. in Ecclesiast.
benefic. sine dimin. confer.* in Concil. Trid. *sess.
24. de ref. cap. 14.* apertè statuitur, ne in colla-
tione beneficiorum & Parochialium Ecclesia-
rum aliquid de fructibus subtrahatur, vel aliqua
solutio exigatur & quia in d. Concil. etiam quæ-
cunque consuetudines reprobantur, ubi hæc ex-
actio viget, dicendum erit concilium in hoc lo-
co receptum non esse, ut etiam advertit Paulus
Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. ult. §. 5.
n. 46.*

De Cathedratico.

CATHEDRATICUM est exactio duorum
solidorum sive duorum aureorum, qui de
reditibus Ecclesiarum Episcopo annuatim per-
solvendi sunt in honorem & recognitionem Ca-
thedræ Episcopalis. *c. conquerente 16. §. ibi Gl.
de offic. jud. ord.* alio nomine hæc exactio etiam
synodaticum appellatur, eò quòd in synodo Epi-
scopali olim persoluta sit: & hodie juxta Cano-
num consuetudinem in synodis decanalibus
persolvatur. Hanc pecuniam (quæ de con-
suetudine augeri vel minui potest) Episcopus
ab omnibus beneficijs suæ Diocesis petere va-
let, exceptis monasterijs, quæ regulariter à lege
Dio-

Diœcesana (quæ in recipiendo consistit. *Gl. in c. dilectus 18. de offic. ord.*) sicut & propterea à Charitativo subsidio & alijs, ubi non probantur specialiter subjecta, exempta sunt. *c. inter cætera. 10. q. 1. c. cum pro utilitate 15. q. 1. c. quam sit. 18. q. 2. Barb. de Offic. Episc. alleg. 86. in fin. & alleg. 87. n. 45.*

De Charitativo Subsidio.

4 **C**HARITATIVUM SUBSIDIUM est quædam exactio extraordinaria propter manifestam & rationabilem causam cum charitate à subditis postulata. *c. cum Apostolus 6. de cens. ubi prohibemus inquit Concil. Later. ne subditos suos Episcopi gravare presument, sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare.* Verùm hæc non ita accipienda sunt, quasi subditi pro suo arbitrio dare vel denegare possint charitativum subsidium, sed licet ab initio cum charitate & demonstrata necessitate à subditis peti debeat, ex postfacto autem propter eandem necessitatem ex naturali æquitate & jure concedente omninò ad præstandum auxilium obligantur, & per media compulsoria adigi possunt. *Pan. & Host. & communit. alij in d. c. cum Apostolus.* sicut in simili eleemosynam largiri actus charitatis est, in necessitate, tamen judex poterit cogere divites ad eleemosynam dandam. *Barb. de offic. Episc. alleg. 87. n. 4.*

5 Porro justæ causæ petendi charitativum subsidium,

sidium, omnes & singulae in specie exprimi facile non possunt, & textus tantum in genere manifestae & rationabilis causae mentionem facit, ideo potissimum in iudicio & conscientia superioris positum est, quatenam talis rationabilis causa censi debet, teste Pan. *in eod. cap. 6. n. 4.* Interim tamen unam vel alteram causam praeter rationabilem referunt DD. ita imprimis à Sac. Cong. declaratum referunt, novum Episcopum posse propter expensas in sui electione, confirmatione & consecratione factas charitativum subsidium exigere. praeterea etiam sufficiens causa petendi charitativum subsidium communiter à DD. reputatur, si expensas fecit Episcopus in causis & negotijs totius Dioecesis, item si debita pro bono communi Ecclesiae vel totius Episcopatus ab antecessoribus contracta dissolvere velit, si ex causa publica & necessaria ad Papam vel Imperatorem aut Concilium generale vel provinciale venire debeat &c. *Barb. de offic. Epis. alleg. 87. n. 26. & seqq. Tamb. de jure Abb. disp. 10. quest. 3.*

Exigitur autem Charitativum subsidium tantum à personis Ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum, non verò à Laicis ut ex *c. conquirente de offic. ord. ex. cap. 6. & 7. 10. q. 3.* latis colligitur licet enim *in d. cap. cum Apostolus* generaliter dicatur, charitativum subsidium à subditis exigi posse, tamen in propria significatione Dioecelani laici non dicuntur subditi Episcopo (scilicet quatenus Episcopo, nisi simul sit Dominus

minus

minus territorialis) quamvis quoad aliqua spiritalia suo foro subjiciantur, ut rectè notat Gl. in Clem. 1. v. *subditos de foro comp.* notanter dixi à personis Ecclesiasticis ratione beneficiorum postulari charitativum subsidium, unde Clerici qui beneficium non habent, licèt habeant ampla bona patrimonialia, vel qui beneficium quidem habent, sed ita tenue, ut præter congruam sustentationem nihil ipsis de fructibus supersit ad charitativum subsidium non obligantur, ut resolvit Navar. de Cens. *Conf. 5. Barb. d. l. n. 48. & seq.* ubi etiam istud notabile ponit, quòd charitativum subsidium ab antecessore in beneficio petatum & non solum possit à successore tanquam onus reale, & tributum beneficio impositum exigi. *arg. L. Imperatores. 7. ff. de publicanis. & vectig.*

De Pensione Alumnatica & alijs.

IN Concil. Trid. *f. 23. de ref. c. 18.* statutum est, ut in qualibet Ecclesia cathedrali seminarium aliquod erigatur in quo juvenes & adolescentes educantur ac in disciplina Ecclesiastica instruuntur. *cum adolescentium etas inquit Trid. d. l. nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè ac sine maximo ac singulari DEI omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret.* ad hoc propterea seminarium erigendum & conservandum

dum poterit Episcopus omnibus quibuscunque beneficijs Ecclesijs suæ Diœcesis (quæ tamen propria seminaria & scholas non habent) certam pensionem imponere ut *in d. c. 18.* latius habetur. Alias præterea pensiones (quæ & census in jure dicuntur) rectè exigit Episcopus, nimirum tempore foundationis aut consecrationis cū consensu fundatorum & ex justa causa Ecclesiæ impositas. *jux. c. præterea 23. & ibi DD. de jure Patron. c. quanto. de Cens. itē & reservatas in recognitionem beneficij exemptionis, quam Episcopus cum consensu Capituli à sua jurisdictione Ecclesiæ dedit, quod facere potest teste Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 89.* pro ut etiam S. Pontifex eximendo sibi reservat censum aut pensionem *c. constitutus. 6. de relig. dom. c. cum venerabilis. 21. de Cens.* extat verò prohibitio Concilij Late. *in c. prohibemus 7. de Cens.* ne novi census imponantur Ecclesijs, nec veteres augeantur, &c. quod potissimum de censu perpetuo accipiendum est, temporalem autem censum ad unum vel plures annos ex justa causa v. g. pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis, ad exsolvenda debita, pro alimentatione pauperum scholarium & aliorum ab Episcopo imponi posse tradit Barb. *d. p. 3. alleg. 58. n. 3. & 11.*

De Procuracionibus.

PROCURATIO nihil est aliud, quàm visitus & sustentatio debita Episcopo pro eo tempore, quo Ecclesias suæ Diœcesis visitat.

MAN, PAROCH. E dan-

danda ex redditibus Ecclesiarum visitatarum. licet autem Episcopi aliunde largos redditus habeant, ut tamen eo facilius permoveantur ad visitationem Ecclesiarum, jure constitutum est, ut suis sumptibus parcere, & ab ipsis Ecclesijs exigere possint: dignus est enim operarius mercede, & suis stipendijs nemo facile militat.

Circa istas procuraciones primitus quidem constitutum *in c. 1. & 2. de Cens. in 6.* ne earum nomine pecunia visitatori daretur, sed victualia in natura subministrarentur, id tamen ex postfacto Bonif. VIII. *in c. 3. eod. tit.* correxit, & liberum reliquit visitatis, utrum pecuniam aut victualia dare velint, quod ipsum deinde Concilium Trid. *sess. 24. de ref. c. 3.* confirmavit, adjiciens, ut in ijs locis, in quibus consuetudo est, ut nec victualia nec pecunia nec quidquam aliud in visitationibus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id omninò observetur.

Illud quoque, quod jam priùs *in d. c. 1. & 2. de Cens. in 6.* prohibitum erat, repetijt Concilium Trid. ne videlicet extra procuraciones pecunia aut munus quodcunque qualitercunque etiam oblatum à visitatoribus, vel ijs quos secum habent, accipiatur, consuetudine quacunque etiam inmemoriali non obstante, adeò ut accipiens præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, alijs insuper pœnis à synodo provinciali determinandis multari debeat. Advertit etiam Pan. *in c. procuraciones. 23. de Cens. n. 4.* quòd Episcopus sive visitator non possit

com.

computare expensas, quas fecit in emendis aut conducendis equis, minus aestimare equos mortuos, vestes detritas &c. cum tantum victualia aut eorum aestimationem accipere de jure permittatur.

Cæterum omnes quidem Ecclesiæ visitatæ (exceptis oratorijs privatis *c. fin. de Cens. & ex quorundam sententia hospitalibus & similibus pijs locis, quorum bona præcisè ad sustentationem pauperum collata sunt Zerola in praxi Epif. p. 2. v. visitatio. §. 6. dub. 7.*) ad procurationem tenentur, etiam Monasteria nisi speciali privilegio vel consuetudine immunia sint. *Trid. c. 3. c. sopita 14. de Cens.* Si tamen Episcopus una die plures Ecclesias visitaverit, non à singulis singulas procurationes exigere, sed una tantum procuratione pro illa die sufficiente contentus esse debet, atque ad eam præstandam non una sola Ecclesia gravari, sed etiam reliquæ illa die visitatæ juxta proportionem suorum reddituum concurrere debent *per tex. & DD. in c. cum instantia 16. §. sanè & c. procurationes 23. de Cens. c. 3. in 6.*

De Portione Canonica, & quarta Decimarum.

PORTIO CANONICA est quarta vel tertia pars (juxta locorum consuetudinem) quam Episcopus de jure Canonum ex omnibus illis, quæ testator Ecclesijs vel pijs causis reliquit exigere potest. *c. officij. c. requisivisti. de testam.*

Ex ijs verò quæ legantur pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, pro anniversario septimo aut trigesimo die sive aliàs ad perpetuum cultum divinum portio Canonica non debetur, dummodo non studio in fraudem Episcopi sub tali titulo relicta sint, quod in dubio non præsumitur, dolus enim probari debet *L. dolum c. de probat. c. fin. de testam.* de donatione quoque facta Ecclesiæ inter vivos non deducitur Canonica portio. *c. de his 4. de sepultur. c. 1. de statu Monach. Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 86. n. 26.*

De QUARTA DECIMARUM sciendum est, quòd tempore primitivæ Ecclesiæ, cum Episcopi essent pauperes, statutum fuerit, ut de oblationibus Ecclesiæ factis sumerent medietatem. *c. antiquos. 10. q. 1.* & procedente tempore tertiam partem ex fructibus Parochialium Ecclesiarum, cum onere tamen fabricæ, id est, ut illas ruinosas tenerentur reficere. *c. 1. & c. unie. 10. q. 3.* sed jure recentiori tantum concessum est Episcopis, ut de decimis ad Ecclesias parochiales & non ad alias pertinentibus quartam partem sine onere tamen fabricæ accipere possint. *c. conquerente. de offic. ordin. c. de quarta de prescript.* hodie autem magis auctis Episcopatus istæ quartæ passim in desuetudinem abierunt, & quòd præscriptione tolli possint textus est in *d. c. quarta.* & tradit Barb. *d. alleg. 86. n. 4.*